

Ye  
1327

Q. D. B. V.

L A U S  
V I N A R I Æ

*simplici stylo*

depicta atque descripta

à

JOH. CHRISTIANO CELIO,  
BRAUNSDORFENSI,  
SCHOLÆ VINAR. ALUMNO.

ANNO  
M. DCCII.

---

GERÆ,

Imprimbat VVolfg. Adrian. VVerther.



VINARIA

Amstelredamum  
deputatus super delictis

JOHANNES CHRISTIANUS CELLO

BRANDENBURGENSES

SCHOLAE VNI





## Praefatio.

L. B. S.

**B**ene dixit olim, quicumque dixit :  
**B**onum si biberis, corona; quibus  
 verbis ivere Veteres nihil aliud si-  
 gnificatum, quam cum omnia be-  
 neficia à DEO in nos redundantia,  
 grato excipi animo, sic & fontes  
 honore coli quam maximo, fas  
 esse. Quo nomine tanta veteribus  
 fontes veneratione tractati sunt, ut & Romani fe-  
 stos agerent dies, quos Fontinalia, vel ut Tertullia-  
 nus in Apol. habet, Aqualicia nominarunt. Hac  
 solemnitate in fontes projicere coronas puteosque  
 facta stipitis injectione, venerari, ut, à quibus pellu-  
 cidos liquores ad extinguendam sitim recepissent,  
 iisdem gratiam referre, hoc ritu viderentur. Quod  
 si igitur majores tanti fecere fontes, ut vel pro uno  
 haustu coronandos duxerint, non erraverim certe,  
 si urbem Vinariam, Thuringiæ fidus, ac seminarium  
 Ducum Saxoniae fecundissimum, omni laudum  
 encomio celebrandam arbitrer, illud observans,  
 quod primæ cavæ Poëta Hesiodus refert; Nun-  
 quam, inquit, ante pedibus trajicias aquam pulcri  
 fluam perennis fluvii, quam in limpida fluentia in-  
 tuens precatus sis; Sic & ego, cum tot tantaque in  
 me



me meosque majores beneficia, tanquam ex limpidissimo fonte, à Serenissimis hujus urbis Principibus defluerint, quæ vel ab invidis amorem gratique animi *τηκμήριον* extorquere speciosissimum valeant, facere non potui, quin ea pro virili rependere, summo studio conmitterer. WILHELMUS enim IV. gloriosæ memoriæ, præsidium illud & dulce decus subditorum, hic, inquam, suæ liberalitatis testem habuit avum meum beatum, HEINRICUM CELIUM, qui Toga Sagoque B. Principis fuit ab officiis aulicis, plus octennium fideliter administratis, quid? quod JOHANNES ERNESTUS, Dux Saxoniae, jam inter coelites beatissimus, Sol iste, à cujus immensæ Serenitatis jubare lucem hanc haurit patria excellentissimæ dignitatis, in Parentem meum carissimum, GEORGIUM HEINRICUM CELIUM, hodiè apud Jun. DN. Baronem de MEUSBACH, Directorem Judiciorum, benevolentiae suæ radios diffudit, dum ejus studiis scholasticis non minus, quam Academicis, per aliquot annorum vices sumtus suppeditavit liberalissimos, & à Serenissimorum hoc tempore Principum Celsitudine tanquam limpidissimo fonte, egomet ipse, beneficiis perfusum me non paucis fateor. In templo liberi Patris, quod erat in Insula Andro, fontem perhibent, Nonis Januariis vino quotannis fluxisse, sed ea naturæ munis lege atque omine, ut sapor iste nulli præberetur extra

tra



tra templum; Ast mihi alienigeno, in urbe hac Vi-  
 naria gratissimi saporis quasi vinum fluxisse fateor,  
 dum non uno tantum die, sed per sexennium plus  
 minus, mansuetioris disciplinæ Nectar, ceu è Castali-  
 dum fonte, sub Magnorum Principum tutamine  
 haurire sustinui. De miro fonte Garamantum le-  
 gitur, quod frigore noctis ferveat, ac plus incalescat  
 quam solis radiis. Quid de fonte dicam Viariensi-  
 um? neminem certè fugit, quantus ubique armo-  
 rum furor debacchatus sit, quantum exarsit passim  
 annonæ incendium, & quantæ hinc rerum angu-  
 stia, veluti spissa nox ac tenebræ coortæ sint. Atta-  
 men quo densior me obruit caligo, ac pene tenebris  
 immerfura me visa est, tanto plus beneficentiæ è fon-  
 te hoc scatuìt, langventemque mirabili vel jucundi-  
 tate refocillavit. Quid? tota civitas in benignitatis  
 sinu me foveri passa est. Fons Job in Idumæa qua-  
 ter in antio colorem mutare dicitur, nimirum pul-  
 verulentum sanguineum, viridem & limpidum, ter-  
 nis mensibus in anno tenens unum, ex his, color-  
 rem: Verum civitas hæc dulcis Vinaria, nunquam  
 præ se tulit faciem pulverulentam, nunquam san-  
 guineum torvumque aspectum, sed semper limpida  
 fluxerunt beneficia, semperque viridem ac propen-  
 sum erga me habuit animum, ut artium liberalium  
 stadium, hujus adjutus ope emeriri valuerim. Quæ  
 beneficia cum tanta sint, ut me ad qualemcunque  
 A 3 grati



6.  
grati animi significationem devinciant, intermiuere  
nullus potui, quin Vinariam, urbem meam meo-  
rumq; Majorum altricem verborum floribus coro-  
nem. Aurea quidem corona mihi deest, & hujus  
operulæ tenuitas ad beneficiorum, vel minimam  
partem, tantum abest, ut accedat, ut potius fateri co-  
gar, etiam si decies tanto copiosius esset opus, vel  
potius Iliada, in laudem & urbis & Serenissimorum  
Ducum felici, quod ajunt, Minerva scriberem, in-  
gratum me tamen esse moriturum. Attamen L. B.  
coronam heic literariam, tanquam grati pignus ani-  
mi, & fontis limpidissimi decus sisto, & etiam si de-  
sint vires, voluntati tamen non adversaberis. Ac-  
cipe igitur pro tui erga me, erga Patriam ac urbem  
animi propensione, & si quæ obscura ac minus sa-  
poris publici videantur, in optimam partem inter-  
preteris, etiam atq; etiam rogo. Vos verò famæ  
vespillones, ac jejune malevoli rogatos volo, ut ro-  
dere conatum meum, de se bonum laudabilemque,  
desinatis, certo persuasi, me vos areopagitas vestra-  
que supercilia ac dicta mordacia, vel liras potius ha-  
biturum pro merenda bovis Cyprii. Qui verò mi-  
hi faves, Lector benivole, scias te, Christiani ac ho-  
minis bonæ mentis quod est, facere & habere sem-  
per me tui æstimatorem maximum. Vale & me  
tui favoris hac lectione fac certiozem, Dabam Vi-  
nariæ, Anno Christi, M. DCCII.

I. N. 7.



**M**ulti multis temporibus diversa terrarum loca, amnes, insulas, urbes ac integras regiones mundi que partes, omnis ævi memorie literarum præconio inculcarunt, id quod ipsos factitasse ea fini crediderim, ut vel à se longe distiti fierent de locorum natura certiores, vel gratum apud posteros in patriam suam extaret monumentum ære quovis perennius. Mihi neminem vitio versurum esse spero, si Vinariam nostram in paucis dilectissimam amœnissimamque describere, & quasi quodam laudum debarum colore, quantum quidem in viribus meis positum est, exornare ausus fuero. Quæ quidem res ut pleræque omnes Thuringiæ, & profundæ noctis est & molis gravissimæ. Nam quum priscais temporibus defuerint Germaniæ, imprimis vero Tyrigiarum terræ scriptores, qui literarum monumentis memorabilia gentis suæ prodidissent, vel ipsi Thuringi quoque in describenda Vinaria medicum in tenebris luctari ac difficultatum salebris coguntur. At tamen ad has ego difficultates non expallesco, imprimis quia easdem antiquissimarum rerum tenebras doctissimi quique rerum indagatores non distitentur, & Majores nostros in excelendis literis, à quibus vel contemptus abstraxit vel armorum strepitus ac classicorum clangor avocavit, negligentia ejusdam postulant. Sed prælibatis hisce non diutius lecturientis animum detinebo, sed plenis velis, benigna ut spero Minerva, sermonem in VINARIÆ LAUDEM ingrediar. Unde verò Vinaria nomen sortita, iis subolebit facile, qui in rerum etyma curatius inquisivere. Derivari autem videtur à vino & foro, quasi dicas, Weinmarkt / Græcis audit Oenagora, idque eam ob causam, quod ex arbe finitima Jena, vini copia huc Vinariam olim advecta ibique divendita est: Quam sententiam cum multi virorum doctorum amplectuntur, tum antiqua maximè documenta de anno millesimo, ducentesimo, septuagesimo octavo suffulciunt. \* Alii & inter eos præsertim Georgius Braun / Urbem Vinariam nomen suum accepisse perhibent, à viro quodam ibi locorum habitante, qui vineas prima vice heic plantasse,

\* Der Name der Stadt Weimar soll von Wein herkommen / welchen man von Jena hieher hat pflügen pflegen, drum soll sie auch in Latein Vinaria genennet werden / à vino.



se, & ex sedula hac sollertiq̄ue vini cultura, der Weinmayer/ cognominatus dicitur. Caspar Bonifacius, in tractatu quopiam asserit, tribus in collibus vites cultas fuisse olim Vinariæ. Ast Stigelius Poëta ex Thuringis celeberrimus sic scribit:

*Urbs quod, cum primis, qua nomina duxis ab uris,*

*Quam gelidus modicis alluit Ulnus aqua.*

Et huic opinioni adstipulantur Bertius, Saur, Zeiler, & alii plures. In antiquissima Teutonum dialecto Vinaria scribitur Wy-mar, item Wyhmar; Ex quo conjectant sagaciores, à solemnibus lustrationis Papisticæ ritu, nundinisque quæ simul instituebantur, urbi nomen inditum fuisse. \* Caterum de incunabulis urbis Vinariæ non habemus aliquid certi, sed ita sunt obscura prisorum silentio, ut ejus origo non me solum, sed doctissimum quemque prætereat. Multa tamen secula eam stetitisse per quam est probabile, quum urbem hanc conset jam tum ante annum à nato Christo nongentesimum trigessimum tertium, adeoque seculo decimo vertente, exstructam fuisse. Relatum enim legimus in annalibus, OTTONEM I. cognomine Magnum, Imperatorem Romanum, è stirpe Saxonum ortum, nec minus genitorem ejus HENRICUM I. AUCUPEM, heic terrarum habitasse, quod fortè factum fuit, cum HENRICUS ille I. Hungarorum in Thuringiam sese effundentium repressit impetum, eorumque quadraginta, vel secundum aliorum opinionem, centena & quadraginta millia ad arcem Jecheburgum, felici Marte sustulit, ipsa autem hæc clades, quam anno nongentesimo trigesimo tertio evenisse legatur, colligi fas est, quod ante id temporis, quo hæc ab HENRICO gesta sunt, steterit, & quum Imperatorem cum tot magnatibus capere quiverit, satis ampla extiterit & magna. Vinaria autem, urbs ac sedes jam temporis Principum Saxoniarum sita est in nobili Thuringorum Provincia, in solo pingvi & sæcundo, parva licet ac diducta in valle, opportuna tamen & perquam amœna, tria milliaria ab Erfurto, duo à Jena, ac totidem à Buttstadio, urbe ob forum cum equarium, tum boarium, celeberrima distans;

Im-

\* In alter teutscher Schrifte schreibet man sie: Wymar: auch Wyhmar/ und könte deshalben wohl seyn/ daß Sie von Pabstlichen Weibern oder einwelchen/ und einen Markt oder Weß/ welchen man dar bey gehalten/ den Nahmen hätte.



Imprimis verò est hic locus merito multis aliis longè præferendus. quia inter duas Academias famigeratissimas juxta ac vetustissimas, Erfurtensem nimirum & Jenensem, positus multis studiosis hinc inde proficiscentibus sæpissimè frequentatur. Quod si formam spectas urbis, jam non ad eò magna est, & ad quadratum potius quam circularem accedit; Olim quidem admodùm magnam & amplam, imò incredibilem fermè in circuitu habuisse magnitudinem, ex majorum relatione patet; quandoquidem fontem illum limpidissimum, quem nominant den Kettenbrunn/ ante portam Jacobzæam, medio in foro steterisse, pagos verò urbi hodiernæ conterminos, Ober-Weimar/ & alios, suburbia fuisse perhibent. Cujus magnitudinis ac amplitudinis argumentum est satis luculentum, quod OTTO I. cognomine Magnus comitia, anno nongentesimo, trigesimo sexto ibidem habuerit. Quia verò incendia sæpenumero \* in hac urbe sunt excitata, adeò, ut tota pene urbs aliquoties Vulcano fuerit consumpta, eam procul dubio hac temporum injuria, detritam & in formam præsentem, redactam esse, conjectura est facillimam. Discernitur verò urbs que modo hodiernis diebus conspicitur, in quatuor partes primarias, singulis sua cuique respondente porta. Orientem respicit porta à conis, quorum latus ibi frequens est, das Regelthor/ dicta; Meridiem porta B. Virginis; Occasum Erfurtensis, Septentrionem Jacobza. Cæterum urbs muris & fossis undiquaque, nisi ubi Ilmus alluit, est munita. Intra Pomæria ejus ædificia non quidem ad luxum & magnificentiam, cultu nimio, sumptuque magnifico, cujusmodi Parisiis, Romæ, Venetiis, alibi que locorum sunt, exstructa vides, sed pleraque ex ligno & luto composita, maximè verò in suburbiis. Cives namque in exstruendis domibus mediocritatem observant, itemque munditiam & commoditatem, nec deest quibusdam ornatus, quæ dum firmo solidoque fundamento nixa extrinsecus speciosa videntur. Imprimis verò operæ pretium est scire, tres arces SERENISSIMORUM, novam nimirum

\* Anno 1424. den 3. Maji, ist in der Fürstl. Residenz-Stadt Weimar eine so grosse Feuersbrunst entstanden, daß die halbe Stadt/ sambt dem Fürstl. Schlosse und der Pfarrkirchen darinnen in Rauch aufstiegen und verbræhet worden sind. Wie denn auch besagte Stadt Anno 1299. fast zu Grunde abgebrant seyn soll. Vid. Annal. Mülleii.



mirum, vulgò arcem *Wilhelmi*, die *Wilhelmsburg*; deinde antiquam, communiter arcem coloris rubicundi, das *rotte Schloß* & denique hortensem, aliàs das *Garten-Haus*; pretiosè ac mirificè esse constructas. Arx nova SERENISSIMI PRINCIPIS AC PATRIS PATRIÆ NOSTRATIS CLEMENTISSIMI DOMINI, WILHELMI ERNESTI, sedes jam est ab ejus Avo, DOMINO WILHELMO IV. Gemino & Bellicoso, gloriosæ memoriz ædificata, annoque millesimo, sexcentesimo quinquagesimo primo IPSE ejusdem fundator fuit, \* à quo postmodum etiam hæc arx nomen suum accepit. Est domus ad regiam facta magnificentiam, non humana, sed divina opera, fossis admodum profundis undiquaque circum septa atque munita, multisque artis architectonicæ structuris mirum in modum exædificata. Præcipuè verò triclinium illud ambitiosum, pulcrum atque splendoris eximii, visu non solum, sed & admiratione maxima dignum. Id namque præter artificiosam inventionem quam plurimis Principum imaginibus, historiis, aliisque picturis notatu dignissimis nimio perè exornatum est! Imprimis verò Scriptura sequens in ejus pergula egregia aureis literis majusculis depicta, legitur: WILHELMUS IV. D. G. Dux Sax. &c. è dirutis Arcis hujus anno millesimo sexcentesimo decimo octavo, exustæ ruderibus, parta anno millesimo, sexcentesimo, quinquagesimo, pace, cum Deo præsens, qua hic splendet forma, excitavit palatium (faxit Deus! æternitati) & huc usque feliciter perduxit, A. O. R. M. DC. LIX. W. G. En. *Wilhelm der IV. Herzog zu Sachsen* / hat dieß im Jahr 1618. abgebrandte Schloß / als 1650. im Röm. Reich der Friede bestätigt / zu diesem Palast mit G. Ott. / Der geb zu immerwährenden Stand! bis hieher glücklich erhoben und aufgeführt / 1659. Porro in hac arce est turris quadam echonica, in qua vox in uno angulo summissè murmurata, distinctiore ac clariore sono in aures altera ex parte stantium illabitur. Cæterum hæc arx tam mirificè est ædificata, ut ad

\* Anno 1621. den 12 Februaris, ist mit Fällung des Holzes zu Wiederaufichtung des abgebrannten Fürstl. Schloßes zu Weimar in den Lannröder Walden der Anfang gemacht worden / und haben Herzog Wilhelm / und Sein Ältester Prinz Johann Ernst / nach vorher in Städtlein Berde zu G. Ott. umb glücklichen Fortgang solches Schloßbaues / gehaltenen Besuchs / den ersten Hieb gethan. Vide Annal. Mulleri.



ad lectum usque non solum equitare, sed etiam per fastigium curru vehi queamus. Arx altera non dicitur antiqua eò, ac si ceteris esset vetustior, sed quia gloriose memoriæ antiqua Dux Domina, DOMINA DOROTHEA SUSANNA, B. JOHANNIS WILHELMI, relicta Vidua eam condidit, in eaque ad vitæ finem usque habitavit, \* est quoque Domus ad Splendorem composita, recentique artificio perelegans. Arx hortensis armonum & singulare est ædificium, multis chorographiis, historiis, imaginibus & ambulacris perpulcris, nimio opere exornatum, quam arcem Dux ERNESTUS Saxoniz, anno millesimo, sexcentesimo, trigesimo octavo, usque ad fraternæ provinciz distributionem sibi sedem assignavit; Præterea Curiam antiquam juxta & novam magnum urbi ornamentum addere, vel eorum, qui oculis usurparunt, testimonio comprobatur. Imprimis verò horologium, artificiosè constructum, nemo ibit inficias, cum opus ipsum tacitum licet, suum prædicet auctorem, & viventes in culmine imagines, ut credas non corporum solum, sed etiam animorum esse picturam. Quid referam de Granario Serenissimi Principis? Et illud est profectò ædificium non minus vetustum, sed maximo sumru, anno millesimo, quadringentesimo, quinquagesimo tertio, à WILHELMO, Duce Saxoniz constructum, fuitque initio monasterium Ordinis Divi Francisci, postea verò discussis Papatus tenebris, collapsisque vetustate quibusdam illius partibus, in granarium commutatum. Si porro aërem Vinariz nostræ, sine cujus quasi refrigerio ne punctum temporis vitam nostram protrahere valeamus, intueris, purus ille est, tenuis, & sicuti in aliis plerisque Thuringiz locis salubris, non nimis crassus, non turbidus, sed est satis clemens, temperatus, & valetudini quam minimè perniciosus. Quare homines morbis quidem, ut ea, omnia quæ vivunt, sed rarioribus tamen & debilioribus sunt obnoxii, id quod Divini Numinis Clementiz inprimis acceptum ferimus, & in beneficiis multò maximis, quæ mortalitati possunt obtingere, collocamus. Quantum enim ad valetudinem tuendam, & ad ingenia formanda, emolumentum conferat aëris ambientis salubritas, & quam graves contra morbos pariat, quantumque

B 2

aci

\* Vid. M. Adr. Scieri, Geograph. Jenens.



aciem ingenii obtundat ejusdem impuritas hominibus emun-  
 ctioris nasi erit exploratissimum. Ex hac cœli aërisque clemen-  
 tia tanta etiam terræ est feracitas, ut omne genus frugum fru-  
 ctuamque largissime proferat. Quandoquidem solum hocce  
 à Deo singulari quadam bonitate donatum, fruges fert tanta  
 ubertate, ut cum omnibus aliis Germaniæ regionibus certare  
 videatur. Fructus namque visui jucundos, odoratui acceptos,  
 ventriculoque necessarios heic terræ sinus gignit, ut nec fru-  
 gum abundantia, nec agrorum ubertate, nec passionis multi-  
 tudine ulli sit inferior, sed frugum ac leguminum proventum  
 copiosissime edat; Et certe memoratu dignissimum, & omni-  
 um posterorum memoriæ inculcandum, quod anno millesimo,  
 quingentesimo quinquagesimo in hac urbe, aliisque Thyringiæ  
 locis frumento, quod etiam optimi saporis panem præbuerit,  
 depluisse annales referunt. \* Cæterum sicuti Deus ille summus,  
 cœli terræque diribitor, ex justissima ira, populum suum ob pec-  
 catorum commissorum gravitatem ac multitudinem, sæpissime  
 variis & iis quidem gravissimis pœnis afficit, ita & heic Vinariæ  
 aliquoties graves incubuere tempestates † tantam inter toni-  
 trua & fulgura profundentes pluviarum grandinumque copi-  
 am, quæ non solum segetes omnes in agris perdidere, sed etiam  
 domus multas hominesque quam plurimos violarunt; Alias ve-  
 rò singulari quodam beneficio Tyrigetarum terræ natura favisa  
 se videtur, quæ non solum omnia, quæcunque faciunt ad ne-  
 cessitatem, ad oblectamentum deliciasve, uberrime producit,  
 sed & alios populos ad exportandum ex Thyringia, nostraque  
 regione, frumentum sæpissime aliaque vitæ subsidia invitat; Ad  
 quam camporum ubertatem non parum conferunt flumina &  
 aquæ quibus urbs irrigatur, & quia hoc Dei beneficio ad cibum  
 & potum, ad lotiones, ad molas, ad irrigationes terræ aridioris,  
 ad

\* Vid. Annal. Mülleri.

† Anno 1694. den 7. Aug. ist zu Weimar und umb selbige Gegend ein ungemeyn  
 groß Gewitter entstanden/ so Schlossen geworffen in der Größe als Hühner-  
 Eyer/ und hat alles stehend und liegend Beträpbig tieff in die Erde geschla-  
 gen/ alle Garten-Früchte verderbet/ und überaus großen Schaden an Dä-  
 wern und Fenstern gethan. Anno 1673. hat gleichfalls ein großes Donner-  
 Wetter zu Weimar großen Schaden gethan/ Schlossen in solcher Größe  
 geworffen/ daß deren drey ein Pfund gewogen/ und sehr viel Menschen und  
 Vieh beschädiget. Vid. Annal. Müll.



ad piscium capturas, & ad usus denique innumeros haud carere vel unius diei spatio possumus, de ea si nihil differerem, iniquitatis forem increpandus. Fluvius autem præcipuus nempe Ilmus mœnia nostra præterlabitur, cujus nomen Henetum esse putatur, cum media in Moscovia stagnum amplissimum ejusdem nominis, ut & alibi locorum fluvios esse constet; \* Oritur verò in occidentali parte, non procul ab Oppido Ilmenavia, ab urbe nostra Vinaria quinque milliaria distante, & præterlabitur Ilmenam, Chrançfeldiam, Berckam, Vinariam nostram, Sulzam pluresque alios locos, in pago verò Heringa, & quidem in valle ad amicissimam nobis Salam descendit, Prima scaturigine est fluvius valde exiguus, postmodum verò rivulos alios undiquaque in se recipiens, in tantum subito excrescit, ut exundatione facta, vicina omnia sæpissime abripuerit. Annales namque commemorant diversis temporibus tantam fuisse aquarum molem, ut etiam multi homines, pecora, domus miserime perierint. † Maxima verò aquarum inundatio, & notatu meritò post hominum memoriam dignissima evenit, anno millesimo, sexcentesimo decimo tertio, die vigesimo nono Maji; Hoc enim anno tam immensa aquarum congeries, & miseranda in aquis hominum ac bestiarum suffocatio, ædificiorum agrorumque fuit eversio, ut ea omnia enarrare calamus abhorreat. Una nubium moles post alteram irruit, & Ilmus viribus adauctis in tantum subito crevit, ut portam dictam das Regelschor/ superaret; Circa portam verò B. Virginis eò usque affurrexit, ut imaginem B. Virginis in sublimi positam allueret. Tota Vinaria visa est unda & Oceanus, tantaque aquarum fuit altitudo, quantam terra nostra post diluvium universale oculis

B 3

v ix

\* Vid. Heid. Oraciones, & quidem Vol. II. Orat. III. de Thy.

† Anno 1558. den 23. Junii ist umb Wetmar so groß Wasser gewesen/ daß auch sehr viel Leute ertrunken sind: Ferner weit hat sich der Ilmenstrom Anno 1661. den 11. Aug. vergesselt ergossen/ daß an Menschen/ Viehe/ Häusern/ und noch im Felde gestanden: Fruchten/ grosser Schaden gesehen. Anno 1698. den 5. Junii, am Sonntag Exaudi hat sich der Ilmstrom wieder sehr ergossen/ so gar/ daß dergleichen kein Mann gedenket: Der Burggraben/ Rächstelch und Ilm war dajumahl eine Fluth/ und wurden die Inwohner in den Fürstl. Forwerke, und auf dem Regelschor ausgezogen/ und hat dieses Gewässer an vielen Orten überaus großen Schaden gethan. Vid. Annal. Müller.



vix viderat; Quare etiam immensa hæc aquarum inundatio, vulgo Cataclysmus Thuringiacus appellata est. \* Alias vero aqua puritate est plane limpida, vitrea & pellucida ac fluit cursu leni, variosque pisces, præcipue autem trutas, lucios, barbos, angvillas, Leuciscos, percas fluviatiles, canctros, gobios, fundulos, aliaque piscium genera copiosissime producit. Huic amni adnumero quoque aquam, quæ per mediam volvitur civitatem cognomento lotta, hæc quum per omnes pene civitatis plateas suo alveo defluerit, extra Portam in illum sese exonerat. Si amœnitatem Vinariæ spectamus ex montibus arboriferis, ex hortorum frequentia ex nemoribus hinc inde in camporum æquoribus, conspicuis, & ex vallibus viridentibus amœnitatem hujus urbis conspiciamus longe jucundissimam; Ut non immerito dicere liceat Thuringorum Tempe. Nam prope Vinariam videmus montem eminentissimum ac arboriferum Aiteronem, bestiis quam plurimis impletum, qui mons SERENISSIMO nostro mellinæ ac volupe est, eamque ob causam ad eum quasi ad Therionoptem suam sæpiusculæ invitatur. Alias vocatur der Heyters, oder Hellenberg. Vocabulum enim heyter, in antiqua vernacula significat hell. Quod verò hic mons der Heytersberg und der Heteræ expressè nominetur, documenta de anno millesimo, ducentesimo, octogesimo nono, ac de anno millesimo, trecentesimo, trigesimo secundo abunde testantur. Nos FRIEDERICUS, D. G. Comes de Orlamünde recognoscimus, quod dimidium mansum situm in monte: Heteræ. Hic verò mons accolis, quod mirum est auditu, signa minime fallentia tempestatibus dare assolet, & rarum est, ut ejus prognosticis populus fallatur. Si enim ejus pinniferum caput liquidum est & illustre, aëris quietem cælique Serenitatem certo sibi pollicentur, sin verò nubilum, triste & obscurum, ventos augurantur pluviasque metuunt. Porro & amœnitatem Vinariæ & hortorum frequentia multiplicat, quibus omnibus palmam præripiunt Serenissimi horti Italici, quos vulgo vel ab hortulano Italo, vel à ratione ac modo, den Welschen Garten

no.

\* Plura si quis de incredibili hujus Cataclysmi Severitate desiderat, Dissertationem Parentis mei carissimi de Cataclysmo Thuringiaco, anno 1570, Jenæ habitam, legere potest.



nominant; Quid enim illius vigore est speciosius? Quid illius  
 amœnitate est jucundius? Nihil certe, dum non solum florum,  
 herbarum fructuumque raritate ac novitate reliquos omnes  
 antecellit, sed etiam ambulacris opacis & iis quidem rarioribus  
 ac topiariis mirificis sane ac artificiosis inter quæ eminent am-  
 bulacrum ex tiliis in altum exsurgens, cochleatum, utrinque  
 ascensum præbens diversum, è cuius fastigio totos hortos alia-  
 que loca perlustrare oculis, & oblectare se possunt homines, ex-  
 ornatus est. Insuper & accessionem ad sylvitatem hujus ur-  
 bis faciunt haud exigua, nemora in campis hinc inde con-  
 spicua. \* Hæc enim Sylvæ ob deambulationes perpulcras at-  
 que umbraculorum virentiam sunt exoptatissimæ, verno  
 tempore mulcet undique avium cantus, ejusque dulcedi-  
 ne homines capiuntur, ab arboribus in novum se florem indu-  
 entibus odores afflantur sylvissimi, imò ad voluptatem & oble-  
 ctationem exspatiantium omnia naturæ industria videntur  
 confita. Hæc vero nondum sufficiunt, sed accedunt etiam  
 valles viridantes in quibus deambulantes & sylvissimo flumi-  
 nis labentis susurro demulcentur, & gemmea pratorum viridi-  
 tas & rivorum decurrentium allisa & impacta molliter ad pel-  
 lucentes lapillos, argentea aqvula mirifice oculos pascit.  
 Quocunque tandem oculi inciderint, omnia formosa, omnia  
 jucunda, omniaque fructuosa reperies. Quare Vinaria no-  
 stra multa alio loco, quæ quidem amœna sunt, sed vel insectis  
 vel morbis contagiosis ingrata, longè superat. Si porro civi-  
 tatis hujus mores respicimus, eam optimè moratam & cultam  
 invenimus, in plerisque vero est haud culpanda civilitas, inte-  
 gritas & modestia, sic prorsus, ut humanitate, facilitate, man-  
 suetudine & liberalitate, cum quavis alia gente quam optimè  
 culta certet. Id quod exinde comprobari posse puto, quod  
 Scholasticis aliquot paupertatis mole pressis, plurimis benefi-  
 ciis cumularis, cibo quoque ac potu quotannis laudabili qua-  
 dam liberalitate prospiciant, sed etiam in omnes egenos ac te-  
 nuis fortunæ homines magnificentiam expromant. Cives ve-  
 ro mutuum officiorum communicationem invicem servantes,  
 familiares congressus nonnunquam instituunt, concordia ac  
 pacis

\* Das Weibste und Weibsteigern



pacis sunt studiosissimi; Curas & cogitationes suas eò referunt, qua via honestè se sustentare, ac de facultatibus suis beneficia egenis tribuere possint maxima. Quare etiam Deus plurimis tantam donavit opum abundantiam, ut facultatum affarum ipsis suppetat, & cives, quasi divitiis prerogativam aliis preripiant, dum ex mercatura insigni, non quidem uti Lipsiæ, Amstelodami, alibi que locorum famigeratissima minimè tamen exigua, lucrum faciunt honestum. Omnisque generis opifices ibidem habitantes, negotia suspiciunt. Sed ut ad reliqua, quæ scribenda supersunt, stylum delabi patiar, progredior jam ad id, quod caput mihi sit, nempe Politiam & formam gubernationis. Status autem Politicæ Vinariensis, ejusque gubernationis forma est laudatissima. Summum Magistratum agnoscunt Principem, postmodum verò Senatium ac Consules. Et quemadmodum gubernator optimos quærit nautas; Ita Princeps quoque eos Consiliarios asciscit, qui ad Rempublicam administrandam maximè sunt idonei vel eos, \* Οἱ ἐν τῇ πολιτεία τὰ πολιτικά ἐπιπέποιοντες, qui rerum publicarum non Domini modo & arbitri, sed tutores etiam sunt & administrati, qui civibus jura præscribunt, eorum delicta debita pœna afficiunt, innocentes verò ac bonos defendunt, dissidia componunt, præterita tenent, futura prospiciunt, vim coercent, suum cuique tribuunt, cives universos seu pastores greges suos, custodiunt, & in omnibus rebus, quid factu opus sit, bene sciunt. Sicuti vero consularum per longum temporis spatium administrarunt, illi quos pietate, sapientia ac consilio ceteros omnes antecire existimarunt; Inter quos & fuerunt Mylius, Mumber, avia mea beatæ Parentis, qui conciones quasdam ac cantiones sacras sub festum Nativitatis Christi tenellæ ætati & simplicioribus interpretandas instituit, ubi pueri puellæque discolorias candelas manu tenentes, in templo frequenter conveniunt, & propterea cantiones illas, quas vocant, die bunde Lichtgens-Predigten audiunt. Schröterus, Haumann, Fleuterus, alii que plures. Parili ratione etiam adhuc hodie fasces Reipublicæ tenentes Eichelmannum ac Titium, aliosque Senatores imprimis verò etiam hujus urbis Syndicos, inter quos de Republica bene promerere, Saltzmannus, Fuhrmannus, Krausoldus, D. Peilicke, D. Krausius, D. Bornmannus, & jam temporis D. Loescherus, vir immor-

\* Uti Xenophon habet.



immortalitate dignus, consilio prudentia eruditione ac sapientia maxima præditos esse, ac pro universa patriæ salute vigilare, nullus diffitebitur. Fuit verò urbs Vinaria olim comitatus, postmodum in ditionem & Jus Saxoniz Ducum, circa annum Christi millesimum, trecentesium, quadragesimum quartum, quo anno Comes Vinariensis ultimus HERMANNUS à FRIDERICO GRAVI, Thuringiæ Landgraffio victus, omnibusque fortunis exutus est, concessit. Post hujus mortem filii FRIDERICI GRAVIS, BALTHASAR & reliqui fratres, anno millesimo, trecentesimo, septuagesimo sexto facta paternarum Provinciarum divisione, BALTHASARI sorte obtigit Thuringia. Post *WILHELMUS Electoris FRIDERICI Bellicosi filius II. mortuo FRIDERICO, BALTHASARIS Landgraffii filio, Thuringiam consequitur, quam initio quoque, severè, annis atque ingenio ferventior administravit, tanta autem æstimatione virtutis, ut passim vulgi sermone jactaretur; Quoties WILHELMUS calcaria induceret pedi per Arcem Vinariensem incedendo, eorum strepitum latè per omnes vicinas gentes exaudiri, Hic WILHELMUS cœnobium quoque Ordinis Divi Francisci Vinariæ quod jam temporis granarium est, condidit. Vitæ verò suæ cursum A. d. XV. Calendas Octobris, Vinariæ, anno millesimo, quadringentesimo, octogesimo tertio, Vinariæ clausit, ibique sepultus est; Quia verò nullum hæredem reliquerat, regnum hoc hereditarium Fratris sui Electoris FRIDERICI II. Placidi obvieni filii, ERNESTO & ALBERTO, à quibus postmodum universa Ernestina ac Albertina Genealogia suborta est. Hi duo Fratres ERNESTUS & ALBERTUS, diu Dresdæ sedem suam simul habuerunt, postmodum verò illorum alteruter ERNESTUS nempe, Torgata se contulit, ALBERTUS autem Dresdæ demoratus est. Electoris verò ERNESTI Successores fuerunt, duo ejus filii, Elector FRIDERICUS III. sapiens dictus (qui anno millesimo, quingentesimo secundo, Academiam Wittebergensem constituit) & JOHANNES CONSTANS; Hi duo Fratres unâ summa cum concordia gubernarunt. Quid Anno 1455. die Chilianii, binis hisce Fratribus in arce Altenburgensi nobilis cujusdam plagio astuto acciderit, alibi potest legi. Post obitum verò Electoris FRIDERICI Sapientis, Electoratus JOHANNI cessit constanti. Huic con-*

C

stanti



stanti verò successit ejus Filius *Electo*r **JOHANNES FRIDERICUS I. Magnanimus**, qui magnanimitatem ex eò satis abundè testatam fecit, dum non solum ab Imperatore **CAROLO V.** capi, diuque carcere reservari; sed ob Religionis suæ constantiam, etiam dignitate Electorali privari passus est. Vinariam postmodum usque ad extremum vitæ halitum sibi sedem assignavit. Hunc secutus est **JOHANNES WILHELMUS**, *Electo*ris **JOHANNIS FRIDERICI I. filius**, qui cum fratre suo **JOHANNE FRIDERICO II.** Gothæ tum temporis commorante Academiam Jenensem à Patre fundatam anno millesimo, quingentesimo quinquagesimo octavo perfecit: **JOHANNEM WILHELMUM** ordine excepit ejus filius **JOHANNES II.** hunc verò filius **WILHELMUS** vulgò **IV.** secundum genealogiam verò **II.** & geminus, qui nullum certè erga pauperes benevolentia pignus atque indicium omisit; Sed liberalitatem in omnes frequenter expromsit, beneficia verò sua effectu, quam voto majora fuisse exinde colligi fas est, quia non vivus solum munifice donis omnes mactavit; sed constituit etiam, ut adhuc hodie multis hominum, præsertim verò nobis Scholasticis, beneficia ejus quotannis, largissime distribuuntur. Hujus vestigia secutus est filius **JOHANNES ERNESTUS V.** Principum jam vivorum **WILHELMI ERNESTI & JOHANNIS ERNESTI**, Dominus Parens. Per ordinem Successionis regnum ad **WILHELMUM ERNESTUM**, filium natu maximum, jam temporis Patrem Patriæ Clementissimum, anno millesimo sexcentesimo, octogesimo tertio, pervenit, qui Rempubliacam maxima cum laude ac sapientia gubernans, inopes beneficiis cumulavit & etiamnum cumulat quam plurimis. In primis verò Eum singularem Musarum Amicum ac Mœccenatem esse exinde colligi fas est, dum non solum Lyceum nostrum singulari quadam benevolentia complexus, mensam liberaliorem, de qua duodecim Scholastici una cum Inspectore heic frequentantes quotidie aluntur, per omne ævum in memoriam ejus duraturam instituit, sed quod etiam Amaltheam rei literariæ instantissimam technophylaciumque pretiosum Domini Avi sui vestigia omni laude superiora lecturus, sibi comparavit. Eam ob causam Deum **T. O. M.** intimis animi suspiriis imploremus, velit Munificentissimo mensæ hujus fundatori omni ex parte benedicere,



re, Eumque rebus supra vota fluentibus, in hac temporum canitie ad salutem totius Reipublicæ incolumem atque integrum tueri. Hujus frater Germanus JOHANNES ERNESTUS VI. heic Vinariaz quoque sibi locavit domicilium, & una cum fratre & sapienter & laudabiliter regnat. Cujus ac totius Serenissimæ Domus Salutem Deus ille altipotens, hac temporum labe, ad seros usque nepotes prorogare omnibusque cœptis adspirare velit. Confero me nunc ad locum de Ecclesiâ, deque doctrinæ puritate ac templorum structura, mihi jam dicendum esse autumo; Templâ verò Vinariaz nostra habet tria, aulicum nimirum, dictum via cœli, *Der Weg zur Himmels Burg*/ ornatissimum certe ac splendidissimum. Super aram namque suggestus sub artificiosa pyramide non solum positus, sed etiam suprema parte lacuna est plana coassatione tabulatum, cujus medio ædicula quasi exurgit, musicorum concentui destinata, operis tam eximii ac rari, ut inferior pars pavimenti sit intestinum ac reductile. Quod si inter concentus & vocum & fidium, buccinarum quoque & organi musici à certis personis huic ministerio destinatis, subtrahitur, sonus antea submissus, & quasi è longinquo auditus, longè vehementior in aures præsentium non sine voluptate illabitur. Exstruendum hoc templum WILHELMUS IV. curavit, in quo cum aliis Principibus Anno 1662. sepultus est; Confectum hoc anno prioris seculi quinquagesimo octavo, in auguratumque est certa moneta sequens Distichon referente:

*WILHELMUS quartus sic vel post funera curat  
Divinam laudem, dum benefecit opus.*

In alia verò moneta invenitur hoc Distichon:

*SIC bene WILHELMVS fecit, factusqVe bene VLTRA  
Vt rata VerifLYo est eLLogio gentisIX.*

Alterum templum est urbicum D. Petro & Paulo sacrum, magnificentissime auro, argento, marmore, pictisque tabulis exornatum. Totum namque in eo ex solido marmore fabrefactum, arte tam est egregia, ut hominis ingenio factum esse vel fidem excedere videatur. Insuper templum hocce multorum aliorum obtinet principatum, quia tot Electorum ac Principum est cœmeterium, In eo



enim præsertim sepulti sunt, Dux WILHELMUS III. Electoris FRIDERICI II. Saxonie frater: Elector JOHANNES FRIDERICUS, & ejus uxor Domina SIBYLLA, quorum Epitaphia in hoc templo quoque conspiciuntur; ELECTORIS FRIDERICI sic, sic habet: JOHANNES FRIDERICUS, D. G. electus martyr Jesu Christi, Dux afflictorum, Princeps confessorum fidei, Comes veritatis, Signifer S. crucis, Antesignanus patientie & constantie, Heres vite æternæ, obdormiscens in Christo, migravit ex hac miserissima vita in cœlestem Patriam Vinarie M. Martio D. III. Anno 1554. ætatis 51. Dux JOHANNES WILHELMUS: DOROTHEA SU-SANNA, Ducis JOHANNIS WILHELMI uxor: DUX JOHANNES horum Dominus Parens: DOROTHEA MARIA horum Domina Mater: Dux FRIDERICUS Senior: Dux JOHANNES ERNESTUS Junior: Dux BERNHARDUS Magnus, ob virtutem & excelsum ejus animum alias appellatus dextra Manus Imperii, alter Achilles Germanicus. WILHELMI IV. Avi Principum regentium, frater, qui ob multifaria cruenta & sanguinaria bella astris famam suam terminavit. Sed quid multa de sepulcorum cryptis? Propero ad ultimum templum ante portam Jacobæam D. Jacobo sacrum, quod antiquum quidem, nec multorum hominum ambitu suo capax; attamen eum ob plurimas Excellentissimorum Virorum sepulturas, tum ob imaginum, quæ in memoriam obeuntium erectæ sunt, frequentiam, laudabile, in circuitu ejus externo commune jam habitaculum est illorum, qui ad sitos & silentes abeunt, hoc est cœmeterium, ubi multorum non quidem mausolea videas, sed tumbas ornatas labaris, cippis, stelis, columellis & epitaphiis, crucibus ligneis, & interdum æneis in crucifixi Salvatoris memoriata defixis. Præcipuum verò templorum nostrorum ornamentum est, quod in iisdem Doctrinæ ac Religiois puritas floreat ac integra doceatur. Profitetur enim Ecclesia nostra pure ac sincere omnes Doctrinæ Christianæ partes, nec ullam Pontificiorum, Calvinianorum aliorumque detestabilem fovet hæresin, quod post Deum magistratui nostro veræ pietatis ac puritatis parastatæ tenacissimo ferimus acceptum. Ut pote cui à multis inde temporibus proa ac puppis fuit hæreticorum caligines dissipare, ut illasa ac inconcussa staret vera ac sincera religio. Ubi notatu dignum puto inter Flacium



eium & Strigelium acerrimum illum de peccato Originis constitutum. Quem placide compositurus disputationem utriusque partem heic Vinariæ habendam injunxit Serenissimus Princeps JOHANNES FRIDERICUS, Dux & Elector Saxoniae. In qua disputatione Flacius opponentis partes primo sustinens, Strigelium argumento nervoso, à corruptione totali hominis, sumto, sub initium adeò constrinxit, ut evadere non posset. Strigelius verò Sophistico more tergiversans, & ad alia adversarium trahere studens, de discrimine substantiæ hominis & peccati originis quædam movere cœpit, quomodoque ipsi substantiæ liberi arbitrii peccatum originis nihil detrahere ac abolere possit, late deduxit, tandemque obtinuit, ut Flacius negaret, peccatum originale accidens esse; Postmodum quoque in sequenti disputatione ulterius fateretur ac assereret: Peccatum originis esse ipsam hominis substantiam, & variis scriptis, quod semel in fervore disputationis elapsum fuerat, defensitaret. Sed Flacii error, quantumvis multos haberet tibicines ac basiatores, non tamen dignus visus est nostratibus cui digitus tollatur; Nec alios quosque in suas trahere partes valuit, ut potius ab auctoribus Formulæ Concordiæ Id. carbone notatus ex Ecclesiæ nostræ pomœriis fuerit eliminatus. Unde huic Flacianorum hæresi minimè adhuc dum adhæremus, sed sicuti pura ac incortupta Evangelii doctrina tempore B. Lutheri confestim firmam sedem heic Vinariæ habuit, ita & eruditi Theologi ac Superintendentes eandem contra diabolorum furores masculè tutati sunt, quorum peracta reformatione, primi fuerunt M. Nicolaus Jügenteuffel Superintendens, & M. Georgius Strignitius, Pastor Aulicus, qui etiam prima vice M. Philippum Fuldenum & Michaelen Schumannum, anno millesimo, quingentesimo, octogesimo primo, Vinariæ ministros Ecclesiæ ordinarunt, post B. Rosinum verò aliosque Groshaynius, Kromayerus, Zapffius, Lagius, Bajerus, purè & sincere heic docuere; Quorum vestigia hodieque hodieque Theologus ac Polyhistor hujus ævi famigeratissimus Dominus Lairitius, una cum Collegis suis Cypriano, Kleffenio, Faselio, Lagio, Tellerio, qui omnes omni studio docendo, hortando, consolando ad hunc usque diem ex scriptis sacris ac ingeniosis religionis integritatem ardentè propagant, quos divinum illud Numen corroborari & ad



Ecclesiæ emolumentum diu superstites esse jubeat. Quia porro  
 Scholæ & Ecclesiæ sibi invicem divino quodam & sacro quasi nexu  
 sunt conjunctæ, de iisdem aliquid retulisse, mearum erit partium;  
 Vinaria autem Scholis, ubi juventutis contubernium in vera Reli-  
 gione Christiana non solum pure & benè docetur, sed ubi quoque  
 tanquam in seminario virtutis & bonarum artium ad omne decus  
 honestatis & scientiæ fideliter informatur, nequiquam est destituta.  
 De cujus celebritate & antiquitate non opus est heic multa differe-  
 re, quum inter omnes, qui quantum distent æra lupiais, novere, li-  
 quido constet, quod è Vinariensium Lyceo tanquam ex equo Tro-  
 jano innumerabilis sanè virorum eruditorum numerus prodierit,  
 qui Reipublicæ ac Ecclesiæ utilissime inservierunt & etiamnum in-  
 serviunt. Ad Scholæ verò hujus incrementum non parum facit  
 doctorum virorum abundantia; Habuit enim, quoad steterit, vi-  
 ros eruditos, quos ob eruditionem, industriam, eximia quadam  
 gloria & prædicatione merito efferendos esse autumo. Inter quos  
 abinde anno millesimo, sexcentesimo, decimo, Rectores aliique  
 Præceptores præcipui fuerunt Georgius Salzhuberus, Samuel  
 Schvvanengelus, Joachimus Knapius, Fridericus Mullerus, Johan-  
 nes Nicolaus Franckius, Johannes Reiskius, Christophorus Cella-  
 rius, Andreas Steinus, & Rector hodiernus, Philippus Grossgebau-  
 er; Præceptor meus perpetua observantia & pietate mihi ad urnam  
 devenerandus. Sub hujus moderamine temperamenti jucundissi-  
 mi, Musarum nostrarum Prytaneum in tanto per annos jam qua-  
 tuordecim & amplius versatur flore, ut nec inter superiora annonæ  
 incendia, nec acerbissimas temporum injurias adspirante Divini  
 Numinis Gratia decrevit. Deus ille summus Scholarum Monar-  
 cha, hanc Lycei nostri columnam, ut & reliquos Præceptores eru-  
 ditionis haud vulgaris, ad Scholæ ac universæ Patriæ emolumenta,  
 fospites & incolumes conservet. Si res denique in hac urbe  
 præclare gestas considerabimus, earum tantum invenimus nume-  
 rum, ut omnes enarrare vel stylus hebesceret vel chartam mihi de-  
 fore crederem: Eam ob causam earum tantum aliquot succisè  
 breviterque & primoribus, quod ajunt labris, degustabo. In-  
 terca verò in fronte collocari fas est Carpophorum societatem,  
 heic Vinariz & quidem in antiqua atce, cognomento der Horn-  
 stein/



stein / multorum Principum aliorumque nobilis generis hominum praesentia, anno millesimo, sexcentesimo, decimo septimo, die vigesimo quarto Augusti, instinctu CASPARIS de TEUTLEBEN, morum Formatoris institutam, cujus Caput & Director Dux LUDOVICUS, Princeps Anhaltinus, ea tempestate praesens, sub nomine der Nehrende / electus est. Citatus verò CASPARUS de TEUTLEBEN, nomen accepit der Meelreiche; Reliqui verò appellati sunt uti sequitur: JOHANNES ERNESTUS Junior, Dux Saxoniae der Käumende / FRIDERICUS, Dux Saxo-Vinariensis der *Schmalhuffte* / CHRISTOPHORUS de KROSIG, der *+ Hoffende*, Wohlbekommende / JOHANNES CASIMIRUS, Princeps Anhaltinus, der Durchringende; DIETRICUS de WERTER, Chiliarcha, der Zielgeföhnte / & FRIDERICUS de KOSPOTH, Consiliarius Vinariensis intimus, der Heffende. Eam verò ob causam hæc societas fructifera coaluit, quo lingua vernacula turbulentis istis temporibus jacturam passa, in pristinum puritatis ac elegantiae nitorem restituta, unanimiter & propagaretur & conservaretur. Quam ob rem non omnibus promiscue patebat ad illam aditus, sed requirebatur, ut omnes cujusque conditionis & religionis essent primo honesti, prudentes & sapientes, virtuosi & morati, utiles & delectabiles; deinde lingvæ vernaculæ ejusque puritatis studiosissimi; Tertio clypeum ex auro confectum, cujus uni lateri palma ejusque Symbolum; Alteri verò cujusque nomen effigiem insculpta in societatis honorem ligamine prasini coloris serico secum gestarent. Qua de societate non fert tempus pluscula loqui, cui volupe est, alios auctores, qui hac de re scripserunt, adeat. \* Deinde factum sequens idque stupendum notatu & admiratione maxima dignissimum est, quod anno millesimo, quingentesimo, quinquagesimo quinto, die sexto Junii per triduum continuo aqua fossæ arcem ambientes in sanguinem conversa fuisse dicitur. Porro anno millesimo, sexcentesimo, quinquagesimo parva pace, post bellum triginta annos durabile, festum solemne in hac urbe celebratum, ubi Cancellarius Samuel de Goechhausen per conclavis Principis fenestram, sermonem in vernacula nostra perelegantem ad populum quanta poterat, vocis contenten-

\* Vid. Neumarch's. Neu-Sprossenden Deutschen Palmbaum.



tentione, habuit, \* in quo & hæc verba factum legimus, quæ  
 mihi in vernacula apponere liceat. Es hat sich die Stadt Wei-  
 mar umb des willen vor die allerglücklichste zu rühmen / und dem  
 Grundgütigen Gott vor allen andern Städten höchlich zu dancken/  
 daß Sie in diesem ganzen zwey und dreyßig jährigen Kriege/ keine  
 würckliche Einquartierung/ vielweniger Plünderung ausgestanden/  
 dessen sich doch wenig Residenz-Städte zu rühmen haben. Sed ne  
 nimis videar lectori prolixus, orationis meæ filum abrumpo, ce-  
 terasque res notabiles brevitatis, quam pollicitus sum non imme-  
 mor, omitto. Omnia verò quæcunque urbs nostra habet ac possi-  
 det cives Deo acceptum referant, ejusque bonitatem, debita cum  
 gratiarum actione, agnoscant, devote ac suppliciter petentes, ut  
 divinum illud Numen Principes Celsissimos eorumque Ministros,  
 sub quorum tutela tranquillam exoptatissimamque vitam vivere  
 queant, constanti ac incorrupta valetudine perfrui, jubeat.  
 Magistratui ad administrandam Rempublicam vires concedat,  
 Ministris Ecclesiæ ad pure & sincere docendum verbum Dei, vitæ  
 tempora extendat. Universum Collegium Scholasticum ad opti-  
 mam liberorum educationem in annos per quam multos superare  
 patiat. Et denique à cervicibus totius civitatis pessima quæque  
 portenta ac prodigia avertat, contra verò omnibus bonis  
 eandem cumulata in laeta & bene auda  
 parte conservet.

S. D. G.

\* Vid. Annal. Müllerl.

X 2939585





Q. H. 125, 14.

Ye  
1327

Q. D. B. V.

# LAUS VINARIÆ

*simplici stylo*

depicta atque descripta

JOH. CHRISTIANO CELIO,  
BRAUNSDORFENSI,  
SCHOLÆ VINAR. ALUMNO.

ANNO  
M. DCCII.

---

GERÆ,  
Imprimbat. VVollfg. Adrian. VVerther.